

§. 1. Si igitur jussu domini & cum servo negotium gestum erit: in solidum prætor adversus dominum actionem pollicetur: scilicet quia is, qui ita b contrahit, fidem domini sequi videtur.

a) jubentis alium, vel alij mandantis, vel alium hortantis, ut cum servo contraheret l. 1. §. 1. & seqq. ff. quod jussu, neque jussus ad ipsum servum directus his sufficit. l. servus tuus. 20. ff. de dolo.

b) jussus scil. à domino ut cum servo contraheret.

§. 2. Eadem ratione prætor duas alias in solidum & actiones pollicetur: quarum altera Exercitoria, altera Institoria appellatur.

Exercitoria tunc habet locum, cum quis servum suum, magistrum navi proposuerit b, & quid cum eo ejus rei gratiâ, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideo autem exercitoria vocatur, quia exercitor is

a) tum ita, ut creditor totum quod sibi debetur consequatur: tum etiam ita, ut si plures sint quos equaliter istæ actiones tangunt, unus ex iis eligi, & in solidum conveniri possit. l. 1. §. ult. & l. seq. ff. de exercit. act.

b) adeoque cuilibet quodammodo facultatem ejus rei nomine cum servo contrahendi fecerit. Idem est & si institorem præposuerit. in vers. seq.

appellatur, ad quem quotidianus navis quaestus pertinet. Institoria tunc locum habet, cum quis tabernæ fortè, aut cuilibet negotiationi servum suum præposuerit, & quid cum eo ejus rei causâ, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideo autem Institoria appellatur, quia qui negotiationibus præponuntur, Institores c vocantur. Istas tamen duas actiones prætor

c) quod negotiationi inducent.

reddit: